



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola I. Ad Vniversos Episcopos Per Siciliam Constitvtos. Vt semel in
anno in vnum conueniant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

nullum inuenerit Constantinopoli residentem ex more sacrae Romanæ ecclesiæ apocrisarium, excusat se Gregorius ob temporis iniquitatem: indicatque se Bonifacium defensorem, vita, fide ac moribus sibi approbatum, celeriter istuc transmittere. Tandem post pacem cum Agilulpho Longobardorum rege iterum renouatam, quadriennali morbo podagrico grauiter excruciatum, in cælestē patriam, quam multorum precibus impetrare sæpius optauerat, demigrauit.

De scriptis sancti Gregorii vide Posseuinum in apparatu sacro. Traiani animam precibus sancti Gregorii ab inferno liberatam fuisse, vulgata est, & antiqua fabula, vt prolixè probant auctor annalium anno Christi 704. num. 30. & sequentibus, & Bellarminus de purgatorio libro 2. cap. 8. Ministerium confirmationis presbyteris epist. 26. libri 3. delegans, vel delegari posse scribens, in fide non errauit. Nam quod confirmatio ordinariè ab episcopis, non autem a presbyteris administratur, factum reperitur, inquit Hieronymus aduersus Luciferianos, ad honorem potius sacerdotii, quam ad legis necessitatem. Hinc est quod episcopi auctoritate Concilii Florentini & Tridentini dicuntur ordinarii ministri confirmationis; quia scilicet ex delegatione pontificis idem ministerium cuilibet sacerdoti ex iusta causa committi potest. Plura de Gregorio apud Ioannem & Paulum diaconum in vita eius. Quid de moribus ac fide constituerit, compendiose indicat indiculus ille ab illustrissimo cardinale Antonio Carafa elucubratus, qui post epistolas Gregorii subiungitur.

An Traianum ab inferno liberauerit.

GREGORII MAGNI PAPÆ I. EPISTOLARVM LIBER I.

INDICTIONE IX. ANNO ORDINATIONIS EIUS I.
menſe Septembri.

EPISTOLA I.

AD VNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM CONSTITVTOS.

Vt ſemel in anno in vnum conueniant.

Gregorius vniuerſis epiſcopis per Siciliam conſtitutis.

VALDE neceſſarium eſſe perſpeximus, vt ſicut prædeceſſorum noſtrorum fuit iudicium, ita vni eidemque perſonæ omnia committamus, vt, vbi nos præſentes eſſe non poſſumus, noſtra per eum, cui præcipimus, repræſentetur auctoritas. Quamobrem Petro ſubdiacono ſedis noſtræ, intra prouinciam Siciliam vices noſtras, Deo auxiliante, commiſimus. Nec enim de eius actibus dubitare poſſumus, cui, Deo auxiliante, totum noſtræ eccleſiæ noſcitur *patrocinium commiſiſſe.

Diſt. 94. c. 1.
Polyc. libro
1. & 14.
Anſelm. li-
bro 1. cap.
26.

*patri-
monium

Concil. Tom. 13.

X

Illud quoque fieri debere perspeximus, ut semel per annum ad Syracusanam, siue Catanensium ciuitatem, vniuersaliter honore, quo dignum est, sicut eidem iussimus, fraternitas vestra conueniat: quatenus quæ ad vtilitatem ipsius provincie ecclesiarumque pertinent, siue ad necessitatem pauperum oppressorumque subleuandam, siue ad monitionem omnium atque correctionem eorum, quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodem Petro subdiacono sedis nostræ debeatis moderatione disponere. A quo Concilio procul absint odia, facinorum nutrimenta, atque inuidia interna tabescat, & nimis execrabilis animorum discordia. Sacerdotes suos concordia Deo placita & caritas recognoscat. Hæc igitur omnia cum ea maturitate ac tranquillitate gerite, ut dignissime episcopale possit Concilium nuncupari.

EPISTOLA II.

GREGORII PAPÆ I.

AD IVSTINVM PRÆTOREM SICILIÆ.

Redarguit eum ob frumenta non ex integro transmissa.

Gregorius Iustino prætori Siciliae.

QUOD lingua loquitur, attestatur conscientia: quia dudum vos & nullius dignitatis occupationibus implicitos multum dilexi, multumque veneratus sum. Ipsa namque incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebat, ut diligere & venerari etiam a nolente debuisset. Et cum vos venissetis ad administrandam præturam Siciliae audiui, valde gauisus sum. Et quia quamdam inter vos atque ecclesiasticos simulationem subrepere comperi, vehementissime contristatus sum. Nunc vero quia & vos administrationis cura, & me studium huius regiminis occupat, intantum vos recte diligere specialiter possumus, inquantum generalitati minime nocemus. Vnde per omnipotentem Dominum rogo, in cuius tremendo iudicio nostrorum actuum posituri rationes sumus, ut eius respectum semper gloria vestra ante oculos habeat, & nunquam quodlibet, ex quo inter vos vel parua dissensio proueniat, admittat. Nulla vos lucra ad iniusti-